Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2233
Quelle:
Copyright:

mi ſui redemptoris et ſponſi paſſionis opprobria, itaque Dom. Paſſionis, quod et Thema *Job.* 8. indicat, de Eccleſia per Concilium reformanda tractat.

Fol. 345. Sine omni nota Sermo in illud: *Filius noſter iſte proteruus et contumax eſt* &c. Hunc quidem fruſtra quaeres *Conſtantiae*. *Avenione* habitus eſt in Conſiſtorio a *Clemente* VI. a. 1345. in citatione *Henrici de Virnenburg* Archiep. *Moguntini*, qui *Ludovici Bav.* Imp. partes tuebatur. Feci mentionem tanquam e *Codice* evulſi *Vol.* I. P. 3. inter Codices *Homileticos*. Hic ſalvus eſt, et incipit: *Moyſes in dicto capitulo* (Deut. 21) *dat vnam legem, que eſt talis ad literam* &c. Inter alia: *Modo cariſſimi predeceſſores noſtri et nos, et iſta ſancta mater eccleſia vnum filium genuit Henricum Archiepiſcopum Maguntinenſem, et non ſolum genuit, ymo fouit, ymo indulgencius educauit, ymo ad vnam de ſollempnioribus in eccleſijs ſublimiter exaltauit. Sed iſte filius proteruus et contumax patris et matris contempſit Imperium, ymo eciam contra patrem et matrem conſpirauit inimico et hoſti eccleſie adherendo.* Item: *Quomodo per dominum Johannem* (XXII.) *promotus ad Archiepiſcopatum fuit et in partibus conſecratus, et ei pallium miſit, quomodo cum contra eum grauiſſima crimina per Capitulum proponerentur, audire renuit, quomodo eciam graues proceſſus contra illos, qui caſtra epiſcopatus detinebant, fecit in fauorem ipſius. Quomodo dominus Benedictus* (XII.) *proceſſus continuando etiam nuncios ad perſonas illas miſit, per quorum miniſterium poſſeſſionem Archiepiſcopatus accepit. Ecce quanta beneficia* &c. Item: *Poſt tanta ſuſcepta beneficia ſtatim adheſit bauaro de hereſi et ſciſmate condempnato* &c. *Baluzius* novit hunc *Sermonem*, novit et *Schelhornius* e *Cod. Blaviſont.* eumque perperam ad *Martinum* V. et *Johannem Mogunt.* transtulit; mirum tamen eſt, neminem hactenus de colligendis et edendis omnibus *Clementis* VI. Homileticis cogitationem ſuſcepiſſe.

Fol. 350. p. 2. ſine inſcriptione Sermo: *Mundamini, qui fertis vaſa Domini* &c. Incipit a verbis Apoſtoli: *Obſecro vos Fratres ego vinctus in Domino* &c. quae ait haberi in *Epiſtola dominice currentis*, unde Sermo ad Dom. XVII. poſt Pentec. pertinet. Excerptum inde dedit e *Cod. Krafft. Schelhornius.*

Fol. 358. p. 2. *Sermo domini Cardinalis camaracen. in die omnium ſanctorum. Signum magnum apparuit* &c.

Fol. 370. *Sermo per Reuerendum in chriſto patrem et dominum dominum Jacobum* (Arigonium O. P.) *Epiſcopum Laudenſem ipſo die beati thome epiſcopi Cantbuarien. Bonus paſtor animam ſuam dat* &c. Incipit: *Ut ſacri paſtoris dignas laudes referam* &c. Pariter *Quetifo* et *Echardo* ignotus *Thomam* ut *mirabiliter virtuoſum, ſalubri-*